



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonaë, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 33. Omnia de manu Dei accipienda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

nobis Deus beneplacitum suum, quamdiu aliquid erit in nobis, quod illi repugnet, & contrarium sit. Integrum cor ille postulat, & qui se totum ei non dat, nihil dat. Conceditur quidem humanæ fragilitati aliquid proprium velle, sed statim elevari supra se debet, & illi adherere qui super omnes dominatur. Ille creator est, nos creaturæ: ille Dominus, nos servi: ille omnipotens, nos infirmi. Nostram itaque voluntatem corrigere, & illius nos voluntati subdere debemus dicentes, *non sicut ego volo, sed sicut tu* (Matth. 26: 39.) Verba Christi Domini hæc sunt orantis ad Patrem, & transfigurantis nos in se, ut discamus ab illo nihil velle nisi quod Deus vult. Alioquin quid potuit Christus velle diversum à voluntate Patris? Quorum una est Divinitas, dispar nequit esse voluntas. Quamobrem docuit nos orare, *Fiat voluntas tua sicut in caelo, & in terra* (Matth. 6: 10.) Sicut Angeli faciunt voluntatem tuam, faciamus & nos obtemperantes præceptis tuis. Faciunt homines voluntatem suam, non Dei, quando faciunt quod volunt, non quod jubet Deus. Tollatur à nobis rixa illa, quam describit Apostolus dicens, *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem* (Gal. 5: 17.) Sic fiet voluntas Dei consentientibus simul carne, & mente; ita ut nulla remaneant desideria carnalia, cum quibus mens confingat: nihil sit in corpore quod spiritui resistat, omnisque concupiscentia in charitatem commutata fuerit: hæc est enim voluntas Dei sanctificatio nostra. Unus est Deus, & qui adhæret illi, unus spiritus est, una voluntas.

§. XXXIII.

Omnia de manu Dei accipienda.

IN hoc summa totius Perfectionis consistit, ut quidquid acciderit pacato animo de manu Dei accipiamus, omnem sollicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de nobis (1 Pet. 5: 6.) Omnia, quæ mundus mala vocat, peccato excepto, quod est solum & verum malum, à Deo esse Scriptura testatur dicens, *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas à Deo sunt.* (Eccl. 11: 14.) Et alio loco: *Ego Dominus & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc* (Isai. 45: 7.)

Cum igitur Dei nutu, & secretissimi consilii sui immutabili dispositione apud ipsum fixa sint omnia, quæcunque fiunt in orbe terrarum; æquum est, ut universa quæ accidunt quantumvis dura, & acerba, veluti singularis erga nos benevolentia signa, de manu ejus acceptemus, ipsius providentia inhaerentes non nostræ, quæ semper timida, & incerta est, Deique operationem in nobis destruit. Calumnia, fraudes, furta, raptus, insidia, bella, caedes, morbi, ruina, pestilentia, sterilitates, & alia quælibet calamitates, sive publicæ, sive privatae ad improborum emendanda, vel castiganda flagitia, & ad justorum exercitationem à Deo permittuntur, & immittuntur, & si quid horum nos vexat, assumenda vox est patientissimi Prophetæ, qui omnium malorum genere cruciatus dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (Job 1: 21.) Servis fidelibus, quæcunque agenda sunt, ita committunt Domini, ut eos tamen nescire velint, quis finis sit, quæ series, & ratio consiliorum suorum: sic nos subjecti erimus Divinae providentia tamquam inutiles, & obsequentes servi, nihil solliciti quid de nobis, quid de aliis fieri velit; idque nobis à Domino dici putabimus, quod olim Petro dixit, *Quid ad te? tu me sequere* (Ioan. 21) Et si aliquando bona opera, quæ aggressi sumus, vel ægritudine, vel quâlibet adversitate impediri contigerit, non contristabimur: scit enim Deus, quid nobis magis expediat. Sic perpetuâ pace, & imperturbabili tranquillitate fruemur, clamante veritate cunctis perturbationibus, ne ad locum appropinquent, in quo Deus pacis commoratur.

§. XXXIV.

Divina providentia in omnibus acquiescendum.

BONUM est optare à Deo affigi, & multa pro eo pati, sed multò melius est, ipsius dispositioni, & beneplacito in omnibus acquiescere, & orare, ut nos ducat quod ipse vult. Vita naturalis motu & sensu se prodit, vita supernaturalis omnis motus & sensus cessatione, & defectione. Qui enim se deserit, omnesque motus animi sui in Deum transfert, is vitæ gratia vivit, & à se ipso ita est expeditus, ac si de se nihil sciret, velut